

Vergil
muensch
OBSERVATIONES IN VIRGILII AENEIDEM

QUIBUS PRAEMISSIS

OPVIR 231

EXAMINUM SOLEMNIA


IN

GYMNASIO HANOVIENSI

DD. 30. 31. SEPT. ET 1. OCT. MDCCCXXIX CELEBRANDA

I N D I C I T

Dr. GUILIELMUS MUENSCHER,
GYMNASII RECTOR.



A C C E D I T

EPISTOLA, QUA ILLUSTRİ LIBERAE FRANCOFURTENSİUM CIVITATIS
GYMNASIO SAECULARIA TERTIA SUO ET COLLEGARUM NOMINE
GRATULATUR GYMNASII HANOVIENSIS DIRECTOR.

H A N O V I A E,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ORPHANOTROPHEI.



2016/746
PNF 18193
LOW 52268

AMERICAN SOLIDITY

CONSTITUTIONAL HISTORY

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

BY J. M. SMITH

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES

THE HISTORY OF THE CONSTITUTION OF THE UNITED STATES



Observationes in Virgilii Aeneidem.

Quamquam Virgilii carmina epica ob faciliorem sententiarum nexum et huculentiorem materiae naturam non tot et tantas objicere videntur difficultates, quot et quantis plures aliae veterum poetarum reliquiae legentium studia morantur, tamen, si quis eo consilio, ut justae interpretationis satisfaciat officio, ad Aeneidem explicandam accesserit, neque pauca neque levia sibi intelliget esse praestanda. Nam, ut praeterrittam, poeticum dicendi genus, cujus mira elegantia excellit Virgilius, comparatis solutae et ligatae orationis scriptoribus cum ex communi linguae indole, tum ex eorum poetarum, quos ipse imitatus est, vel qui ipsius vestigia persecuti sunt, usu esse illustrandum; ut taceam, ex mythologiae, historiae et omnis antiquitatis penu haud raro reconditiori multis locis lucem esse affundendam; ut exponere supersedeam, de arte poetae subtile judicium ferri non posse, nisi fontes, ex quibus haustam materiam suo consilio accommodavit, exquirantur et comparentur; ut haec omnia praeteream, non exigua superest eorum locorum copia, in quibus, si, quid vere scripserit quidve senserit poeta, definire tibi proposueris, aut magna codicum manuscriptorum discre-

pantia, aut verborum quadam obscuritate, aut diversis interpretum et criticorum opinionibus impeditum te sentias, et, nisi acriter mentem intenderis, huc illuc incertus traharis. Sed in interpretandi negotio, quo tota antiquitatis disciplina nititur fundamento firmissimo, nihil magis sequendum esse apparet, quam ut, etiamsi ad mathematicam demonstrationem res revocare non liceat, tamen omnibus opinionum momentis accurate expensis ad certum aliquod de manu et sententia scriptoris perveniatur iudicium, quod, quantum in hoc literarum genere fieri possit, firmis muniatur et confirmetur argumentis. Hanc quasi metam cum in Virgilio explicando haberem propositam, ubi opes ab interpretibus hucusque collectas coepi comparare et perscrutari, haud raro aut novam rationem esse ineundam aut rationem ab aliis initam certioribus argumentis fulciendam esse mihi persuasi. Etsi autem longe absum ab ea arrogantia, ut, in quibus rebus expediendis viri multi iique egregie eruditi minus prospero successu desudassent, eas mea opera ad liquidum perductas esse existimem; tamen neminem jure reprehensurum esse duxi, si, quae de eo scriptore, quo vix alius magis per longam octodecim fere saeculorum seriem scholastica studia exercuit, observasse mihi viderer, hac opportunitate oblata in medium proferrem, et, quid de opera in locos Virgilii difficiliore illustrandos a me impensa alii judicarent, auderem experiri.

Omnes, quos nunc tractaturus sum, loci ex primis sex Aeneidis libris desumpti sunt.

Jam ad singulos transeamus.

Aen. I, 393 — 400.

*Adspice bis senos laetantes agmine cygnos;
Aetheria quos lapsa plagâ Jovis ales aperto
Turbabat coelo; nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.*

*Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et coetu cinxere polum, cantusque dedere;
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.*

Loci hujus difficultas in v. 397 maxime sita est. Servius *capere* pro: *eligere* accepit. Contra Heynius, hanc explicationem sibi quoque simplicissimam prius visam ob sequentia locum habere non posse, observat. Neque id injuria. Quum enim augurium naves in portum reversas significet, quae de avibus dicuntur, iis, quae ad naves spectant, accurate respondere necesse est. Heynius ipse vocabula *jam* et *captas* inter se conjungenda et *captas* idem esse censet, quod *tantum non captas* vel *tanquam captas*. Haec explicatio parum differt ab illa, quae *jam* ab Emmenesio profertur, *captas* per *capiendas* explicante. Sed neuter, id quod jure postulari debebat, hanc vim participio praeteriti inesse, exemplis ad linguae usum intelligendum aptis comprobavit; immo, quod Heynius, qui suam rationem nullo exemplo confirmavit, Emmenesii explicationem, multis aliis viris doctis probatam, Homericō τετελεσμένον ἐστὶ Od. V, 90 defendi posse putat, alter ad Aen. I, 55 *submersas obrue puppes* provocat, talibus argumentis propositis, quam futilis esset ipsorum opinio, ipsi declarasse videntur. Aliam viam iniit P. Burmannus. Supplet enim: *ab aliis*. Sed jejunum inde sensum prodire apparet, quem a Vossio in interpretatione vernacula expressum esse miror. Praeterea, si loquendi usum satis vulgarem respexeris, secundum quem, non modo, ne pronomen iteretur, sed majoris etiam perspicuitatis et gravitatis causa participium praeteritum verbi praecedentis alteri enunciationis parti addere solent Romani (cf. Ramshornium in gramm. lat. §. 172. 4. p. 480, qui multa exempla affert) intelliges, *captas* vix aliter accipi posse, quam de terris, quae non ab aliis, sed ab ipsis captae sunt. Quod si verum est, capere dicuntur ii cycni, qui terram hoc momento assequuntur, despectare autem ii, qui jam ad terram quidem ab alto devolve-

runt, sed denuo in aërem pennis sublati paulum ita eriguntur, ut in terram tanquam perfugium sibi paratum despectent. His ita intellectis, sequentes versus, quorum alterum v. 398 et Burmanno scrupulum movisse, et Wunderlichio displicuisse video, bene se habent, neque sententiarum nexum turbant. Jam enim sequitur cycnorum et navium comparatio, in qua proponenda poëta primum, ut vivida rei existat imago, cycnos omnes, ut modo dixerat, reduces factos et salutis receptae gaudio elatos alas moventes et coetu per aërem facto (nam *polus* i. q. coelum terrae opponitur et omne id spatium, quod supra terram est, significat cf. Aen. II, 251) canentes facit, tum naves non minus laeto periculorum exitu partim in portu esse constitutas, partim velis plenis portum intrare subjicit. Nisi enim *portum tenere*, quamquam interdum quoque *portum assequi* significat, per: *in portu esse* explices, *portum tenere* et *subire* i. e. *intrare* satis distinguere non poteris. Itaque naves portum tenentes cycnis ad terram jam captam despectantibus, naves vero portum subeuntes avibus terram capientibus optime respondent. Neque vereor, ne quemquam offendat, quod poëta ordinem invertit. Eodem enim modo cum alias tum Aen. I, 709 — 711 mutatum illum invenies, ubi, postquam *dona Aeneae* et *Julus* praecesserant, v. 710. *Julus*, v. 711. *dona* describuntur. Quanto minus haec ordinis mutatio in diversis enuntiationibus facta mira videri potest!

Quae cum ita sint, nihil caussae esse videtur, cur variarum lectionum, quae omnes nec meliorem sensum praebent, neque in satis probatis codicibus reperiuntur, rationem habeamus, Weichertus *) autem cautus alioquin interpret et criticus nimiae audaciae

*) Ipsas hujus doctissimi viri commentationes, in quibus multos Virgilii praesertim injuria suspectos locos tractavit, inspicere mihi non licuit; sed sententias ejus excerptas dedit Jahnus in notis ad Virgilii opera Lips. 1825 in usum scholarum edita adjectis.

culpam contraxisse videtur, qui locum explicari posse desperaverit, nisi terras nunc despectare reponeretur.

Aen. I, 542 — 550.

*Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit nec bello major et armis;
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio ne te certasse priorem
Poeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Armaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes.*

Ita hunc locum legendum esse existimo, etsi fere omnes codd. mscpt. in v. 548 *nec* et qui optimus habetur Mediceus: *Arva* in v. 550 praebet. Sed qui hoc ipso codice *), quem summi critici v. c. Heinsius maximis laudibus extulerunt, perlustrato viderit, quam saepe aberrarint librarii et aperta menda commiserint, is haud negabit, codicum vel optimorum auctoritatem deserendam esse, si linguae usus et sententiarum nexus literae unius vel omissionem vel mutationem postulent. Ut de nostro loco recte judicare possimus, quomodo sententiae a v. 542 inter se cohaereant, demonstrandum esse videtur. Ilioneus, qui Didoni persuadere studet, ut socios ab Aenea tempestate horrenda sejunctos et ad Carthaginis oram delatos benevole excipiat, ubi miseram suorum fortunam exposuit, quae ad hominum animos permovendos maxime efficacia sunt, spem et metum adhibet. Sic enim pergit: Si homines et ar-

*) Praeclarum hunc codicem Foggini opera a. 1741 editum simulque duas veteres Virgilio editiones eximia humanitate mecum communicavit vir amplissimus, Jo. Th. Voemelius, illustris Gymnasii, quod Francofurti ad M. floret, rector et professor.

ma, quae illi gerunt, contemnit i. e. si neque homines beneficiis vobis divinciendi studium neque metus malorum, quae vindicandi causa inferre possint, vos movet, certe deos metuite, qui ut bene facta remunerantur, ita prava facinora puniunt. Tum, cur ipsi et benevolentia digni et metuendi sint, subjicit. Habebamus, inquit, regem, quem neque justitia neque pietate neque animi fortitudine quisquam superabat. Qui si adhuc vivit (hanc unam sententiam triplici ratione declarat, ut immorando, quanti sua referat, luculentius ostendat) haud sane periculum est, ne te poeniteat, ab injuriis in ejus socios abstinuisse, et beneficiis in eos collatis ipsum ad remunerandum excitasse. Is enim est ille vir, qui et gratiam possit referre et vindicare injurias. Sed si mortuus est, tunc nobis paratae sunt etiam in Sicilia sedes, quo nos recipere possimus, et arma, quibus, si necesse sit, vindictam sumamus, et Trojanus Acestes, qui illic habitat, pro duce et auxilio erit. Itaque id tantum petimus, ut naves in terram subductas reficere nobis liceat etc.

Hac ratione nexum sententiarum constituendum esse puto, qui particula *nec* retenta plane perturbaretur. Tunc enim verba: *non metus* plenam enuntiationem efficerent, et significarent: nihil mali metuendum est. Jam quaeritur: Cui? Num nobis i. e. Ilioneo et Trojanis? Hoc ab reliqua loci sententia utcumque intellecta abhorrere videtur. An Didoni? Hoc Burmanno placuit et Jahnio. Ille ait: *non metus* sc. est, *ne nos vindicet*. Hic ad eadem poëtae verba, *sit tibi*, supplendum esse censet, quod vereor ut per linguae leges liceat, de sensu autem loci nihil adjecit. Sed qui tandem Didoni, si vindicandi causa fuisset, ut Burmannus putat, minus ab Aenea superstite quam a reliquis Trojanis metuendum fuisset? Ut breviter rem concludam, si illa lectio vera esset, non solum mira obscuritate locutus esset poëta, cum, quid et cui metuendum esset, non adjiceret, sed etiam, quantumvis cogitatione adderetur, nunquam satis apta prodiret sententia. Itaque *non metus, officio ne te* etc. cum Heinsio et Heynio unice verum esse judico.

In sequenti vero versu, si sententiarum nexus a me recte descriptus est, necessarium esse patet, *arma* i. e. opes bellicas, etsi tectius, tamen ita memorari, ut omni injuriae vindicandae facultate destituti non videantur Trojani. Cur autem *urbibus* i. e. domiciliis sive sedibus, quod vocabulum (*urbes*) pro sedibus cultis et habitatis usurpari, et locis incultis desertisque opponi, ex Aen. I, 578. IV, 40. intelligi licet, *arva* adjiciantur, nihil causae esse videtur. Quid impedit igitur, quominus Medicei codicis, cui Colotianus solus adstipulatur, auctoritate neglecta, reliquorum omnium codicum lectionem amplectamur?

Aen. I, 567. 568.

Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni,

Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.

Altero horum versuum plane eadem sententia contineri videtur Heynio, quae priori, quia remotiorum a solis orbita terrarum incolis major feritas et immanitas tribuatur. Sed nonne hoc longius repetitum est, quam res potulabat? Quid? quod verba: *Sol jungit equos*, nisi vi quadam adhibita in hunc sensum detorqueri non possunt. Simplicior ratio haec esse videtur: Neque in tam aversa ab urbe Tyria orbis parte Sol oritur i. e. non tam remoti sumus ab orientis plaga, in qua Troja sita est. *Urbs Tyria* autem est Carthago, ut in v. 338; non ea, quam noster v. 340. eodem nomine, IV, 545. *Sidoniam urbem* appellat, Tyrus ipsa, quod nonnulli ob ea, quae v. 623. narrantur, putaverunt, nimiam et ineptam subtilitatem poetae tribuentes. Sensus igitur duorum versuum hic prodibit: Non tam expertes sumus sensus humani, ut tam eximias res non curemus et admiremur, neque tam remoti, ut eas fama non percipiamus.

Aen. I, 607. 608.

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae

Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet

Hoc loco Heynii explicatio Servio quoque, Heinsio et Burmanno jam antea probata sollicitanda non videtur. Nam etsi, quod

Heynius negat, *convexa sidera* a poëtis dicuntur, cf. Ovid. Pont. IV, 9, 129. 130. tamen, quomodo *lustrabunt* sine accusativo bene explicari possit, non dispicio. *Convexa* autem i. e. convexas partes sive latera *montium* dici posse, Ovidii et Plinii maj. loci a Schellero in lexico memorati satis probant. Cf. Ovid. Metam. XIII, 911. *vertex montis convexus ad aequora*. XIV, 154. *convexum iter*. Plin. Hist. nat. IV, 8. sect. 25. *juga (montium) leniter convexa*; XII, 22. extr. s. 49. *terrae convexae in nostra maria*. Neque non aptissime poëta, ut aeternitatis notionem amplificaret, solis umbram latera montium ambientem nominavit. Heinsii autem quam vocant emendationem: *Lustra dabunt* Virgilio obtrudere non licet, quo ingenii lusu recepto eximia nostri loci gravitas infirmaretur, et elegantissima corrumperetur imago. Ceterum eam sententiam, quam in altera versus 608. parte inesse bene docuit Wunderlichius, optimus Heynii notarum emendator, expressisse videtur Schillerus noster, cum in tertio aenigmate canit: *Sie altern nie und trinken Leben aus einem unerschöpften Born*.

Aen. I, 633 — 636.

Nec minus interea sociis ad litora mittit

Viginti tauros, magnorum horrentia centum

Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,

Munera laetitiamque dei.

Miror Heynium et Jahnium in hoc loco constituendo et explicando non ipsam rei naturam et plurimorum codicum consensum secutos esse, sed Gellii Noct. IX, 14. nugas grammaticas, qui archaismorum studio abreptus formam *dii* i. e. *diei* Virgilio obtrudi vult, nulla alia addita causa, quam quod multi veterum Genitivum quintae declinationis sic formare soliti sint. Neque vero iidem illi critici Georg. I, 208 ex Gellii sententia *dies* pro *die* reponunt. *Munera laetitiamque dei* dixit poëta figura valde usitata usus promuneribus laetis dei i. e. vino, quod, ut in festo convivio laetitia excitaretur, necessario addendum erat. Neque est veri simile, a

poëta, qui paulo post Aen. I, 734. *Bacchum laetitiae datorem* dixit, et ubique in festis conviviis vini mentionem facit, illud hic esse omissum, et quum singula Didonis dona per asyndeton enumerasset, per appositionem sententiam hanc languidam additam esse: munera, quae diem laetum redderent, nisi forte quis hanc durissimam explicationem amplectendam putat, ut Gellii adeo lectionem de vino intelligat. Quod autem Heynius *laetitiam dei* pro vino lyrica audacia dictum putat, Graecorum poëtarum usu, qui γάμος pro vino saepe usurpant, cf. Schaef. melem. crit. p. 79. refutatur, ut praetermittam, vinum non *laetitiam dei*, sed *munera laetitiamque, dei* dictum esse. Inde tantum, quod vini copia non, ut reliquarum rerum omnium, per certum numerum definiatur, aliquanto firmitus argumentum pro lectione *dii* peti potest, sed tam grave non videtur, ut reliqua infirmentur.

Aen. II, 424.

Ilicet obruimur numero

Particula *ilicet* saepius apud Virgilium invenitur, sed aliis locis aliter ab omnibus, quod sciam, interpretibus explicatur. Num vero convenit, diversas significationes eidem vocabulo tribui, si una omnibus locis apta sit? Notum est, *ilicet* i. e. *ire licet* pronuntiatum esse a praecone in judiciis, cum sententia dicta esset et auditores dimitterentur cf. Donat. ad Terent. Eunuch. II, 3, 55 et Phorm. I, 4, 31. Servius quoque ad Aeneid. IV, 231. funerum ritibus apud veteres hoc vocabulo finem impositum esse, tradit. A comicis autem saepe ita usurpatur, ut omnino finem rei significet. Addi solet: *actum est; conclamatum est, desine* et id genus alia. Semel quoque Plautus Captiv. III, 1, 9. dativum adjecit, *Ilicet parasiticae arti maximam in malam crucem*; quae sunt verba parasiti suam artem desperantis. Deinde subitam et plenam rei consummationem designat et nostro: *auf einmal, augenblicklich*, Gallico: *tout d'un coup* respondet. Hoc intelligitur ex quodam Afranii loco. In iis enim fragmentis, quae ad Materteras pertinent, est: *An tu eloquens ilicet?* Eadem significatio omnibus Virgilii locis optime convenit. In-

venitur autem quinquies apud nostrum poëtam: praeter locum supra memoratum Aen. II, 758. VII, 583. VIII, 223. XI, 468. et quidem uno loco excepto, semper in principio enunciationis. Haud aliter explicanda videtur illa particula in loco Tibulli II, 6, 16. (V, 7, 16.)

Acer amor, fractas utinam, tua tela, sagittas

Ilicet extinctas adspiciamque faces!

Neque aliena est illa a loco Sallustii Jug. 41. *Sed ubi illa formido mentibus discessit, ilicet ea, quae secundae res amant, lascivia et superbia incessere, ubi particula: scilicet, quam codd. mscpti. exhibent, vix locum habere potest.*

Aen. III, 684 — 686.

Contra jussa monent Heleni Scyllam atque Charybdim,

Inter utramque viam leti discrimine parvo

Ni teneant cursus. Certum est dare lintea retro;

Ecce autem etc.

Omnes hucusque prolatae explicationes hujus loci difficultatem non expediunt. Servius *ni pro ne* positum esse censet. Sed, quamquam Donatus et Priscianus ad hanc sententiam accedunt, et nonnulli loci ex Varrone, Plinio maj. et inscriptionibus desumpti illam particularum permutationem sibi nonnumquam permisisse veteres ostendunt, tamen neque alius Virgilii locus pro exemplo afferri potest, neque qui ex aliis poetis laudantur loci argumento esse possunt, cum in iis aut lectio sit incerta, aut alia eos expediendi ratio relinquatur. Nituntur autem illa observatione quae a Servio et ab Heynio initae sunt hujus loci explicandi rationes, sed inter se differunt. Servius post: *Charybdim* interpunxit et sequentia usque ad finem v. 686. inter se copulavit. Ait enim: »Timor cogebat, ut quocunque navigaremus, et ventum sequeremur, non judicium; sed. occurrebat praeceptum Heleni vitare jubentis Scyllam atque Charybdim. Quare placuit, ne cursus teneant h. e. agantur et impleantur inter utramque viam modico mortis interstitio h. e. Scyllae et Charybdis, retro dare lintea.« Heynius ita ordinem verborum

constituit: »Contra Heleni jussa monent, ni i. e. ne teneant. (sc. na-
ves) cursum inter Scyllam atque Charybdim, utramque viam leti
discrimine parvo. (quae verba pro appositione addita putat) Certum
est etc.« Sed ut multos alios locos temere sollicitavit, ita hic quo-
que, cum contortiores verborum juncturas et explicationem probe
sentiret, neque aliam rationem videret probabiliorē, eo delapsus
est, ut aut totos tres versus aut verba: *Scyllam* — retro ab inter-
polatoribus addita esse sibi persuaderet. Vossius aliam viam iniit.
Vertit enim locum:

*Doch warnt Helenus Wort, daßs Scylla hindurch und Charybdis
Beiderlei Weg hinführ' auf des Tods angrenzendem Rande,
Wenn man nicht halte den Lauf; und zurück wird beschlossen
zu segeln.*

Modo huic sane, quam ceteris similiori, sed pluribus partibus,
quam auctor ipse putat, diverso et, ut mihi quidem videtur, multo
minus probabili verba inter se jungitet explicat Jahnius: »Contra He-
leni jussa monent, viam inter (per) *Scyllam et Charybdim utramque*
(i. e. sive viam per *Scyllam*, sive per *Charybdim* elegeris) parvo
discrimine esse viam leti, nisi in tempore cursus teneant i. e. reti-
neant. Hinc certum est etc.«

Has omnes rationes si perlustraveris, facilius erit difficultates
cuique inhaerentes intelligere, quam novam eamque meliorem afferre.
Ne autem contra singulas illas deinceps disputando eadem repetere ne-
cesse sit, primum, quid de singulis loci partibus, deinde quid de
universo statuendum mihi videatur, quam brevissime potero, exponam.

Primum verba *Scyllam atque Charybdim* cum praecedente ver-
bo: *monent* jungenda sunt, *inter utramque* autem cum sequen-
tibus. Nam verbo: *monere* saepius id, quod monetur, per accusa-
tivum non solum pronominum, sed etiam substantivorum additum
reperitur. Apud Virgilium paulo post v. 711 sequitur: *cum multa
horrenda moneret*. Exemplo est quoque praeter Ovid. Art. III, 651.
Horatii locus Od. III, 7, 20. *Et peccare docentes Fallax historias*

*monet**). Illa autem junctura non modo cum poëtarum usu congruit, sed etiam reliquis nostri loci verbis aptissima esse videtur. Nam valde durum esse existimo, si particula *inter* a vocabulis, quae ab ea pendent, ita separetur, ut sola in versu proximo subsequatur. Hoc fit, etsi particula *inter* saepissime apud Virgilium invenitur, semel tantum Georg. II, 345, 346. Sed ibi prior versus est hypermeter, nec sequitur accusativus, ut nostro loco. Hoc ipsum vidit Heinsius, cum, ut alteri juncturae succurreret, *Scyllamque Charybdinque* scribendum esse opinaretur. — Neque vero *utramque* cum verbis: *Sc. atque Char.* apte conjungi judico. Nam tum hoc addere plane supervacaneum erat. — Praeterea *utraque via* non bene dicitur *leti discrimine parvo* esse. Haec enim verba, ut locis parallelis Virg. Aen. IX, 143, ubi optimi codd. ablativum exhibent; Aen. X, 511. Ovid. Metam. VII, 426 confirmatur, significant intervallum quidem parvum, sed tantum tamen, ut a morte aliquis servetur. *Utraque* autem *via*, si est ea via, quae vel per ipsam Scyllam, vel per Charybdim ducebat, ea non modico intervallo a perniciem aberat, sed in ipsam perniciem ferebat. Observabatur enim poëtae animo locus Homeri Od. XII, 106 — 110 et 120 sq., ubi duae per fretum viae perniciosae discernuntur. — Neque locis similibus, quos modo memoravi, comparatis vocem *leti* a sequentibus verbis bene ita separari existimabis, ut ab eo, quod et ipsum ab adjectivo: *utramque* sejungi non debet, vocabulo (*viam*) pendeat. — Omissio verbi substantivi, quam Vossius et Jahnus statuunt, etsi magis ferri potest, quam appositio Heynio probata, nostro tamen loco habet, quod displiceat. — Denique *cursum tenere* etsi Ovidius pro: *retinere* usurpavit, cf. Heroid. 2, 14. *Nec tenuit cursus forsitan ille tuos,*

*) Etsi enim Bentlejus, quem Mitscherlichius et Doeringius secuti sunt, *movet* reposuit, tamen tanto minus codicum lectio mutanda est, quia *movere* in iis, quae afferuntur, exemplis non omnino *proferre*, sed vel *rem novam et inauditam proferre*, ut Virg. Aen. I, 262, vel *incipere sive moliri*, ut Ovid. Fast. III, 11 et alibi, significat; quod *utrumque* in illum Horatii locum non cadit.

tamen hujus loci tam diversa est ratio; ut illam significationem in nostrum locum transferri non liceat. Neque vero *cursum tenere* plane idem est, quod *navigare*, ut Wunderlichius censet, sed *cursum, quem ceperis, eodem tenore continuare*, ut ex plurimis et Virgilii et Ciceronis et aliorum locis intelligitur. Hoc ipsum ad praegréssa verba multo accommodatius, non id, quod Jahnius opinatur, expressit Vossius, cum verba: *ni teneant cursus*. Verit: *wenn sie nicht halten den Lauf*. Sequerer et ipse hanc omnino illorum verborum interpretationem, nisi Aeneam loquentem induceret poëta. Sed cum Aeneam magis de se ipso, quam de Trojanis sive sociis solis haec loqui consentaneum sit, quippe qui, ut Heleni jussa solus acceperat, ita potissimum ea meminisse debuerit, aliter fieri non posse puto, quam ut non *socios*, sed *cursum* pro subjecto habeas. Nam *naves* supplere, quod Heynius fecit, equidem non audeo. *Teneant* autem tum idem erit quod *se teneant*, quem quidem hujus verbi usum Livio potissimum, quo nullus solutae orationis scriptor ad Virgilii sermonem propius accedit, familiarem fuisse multi loci demonstrant e. g. 23, 44 *tenuit imber* 36, 43. *Aquilones tenuere*. Plures locos vide in Ernestii glossario Liv. ed. Kreyssig.

Jam verborum ordinem ita constituo: *Contra — Charybdim, ni cursus teneant inter utramque viam discrimine parvo leti. Certum est* etc. Inde hic sensus prodit: Veriti, ne in Cyclopes incideremus, quanta maxima fieri poterat celeritate vela intendimus, in quamcumque regionem ventus ferret, navigaturi. Sed cum fretum Siculum prope abesset, et ventus ad eam partem naves impelleret, Heleni monita recordati, intelligimus periculum, quod a Scylla atque Charybdi imminet, nisi contingat, ut cursus inter utramque viam i. e. Sc. atque Char. eodem tenore sine ulla aberratione continueatur, et modico saltem intervallo distantes perniciem effugiamus. Periculosum hoc iter tentare nolentes jam decreveramus, in eam viam, qua primum in haec loca veneramus, vela dirigere (quod

ventus a meridie spirans permittebat), ut, si fieri posset, elaberemur, quum subito ventus maxime exoptatus, Boreas, spirare coepit. Etsi autem Helenus, viam valde periculosam quidem, sed navigabilem per fretum Siculum relinqui, aperte non dixerat, tamen ex ejus monito et locorum descriptione cf. III, 920 sq. praesertim ipso regionis adspectu accedente sponte sequebatur. Cogitari quidem possunt aliae etiamnum hujus loci explicationes. Nullam vero inveni, qua adhibita faciliorem haberet intellectum.

Aen. III, 699 — 702.

*Hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni
Radinus, et fatis nunquam concessa moveri
Apparet Camarina procul, campique Geloi
Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.*

Qui Servium plerumque secutus cetera bene explicuit Heynius, in ultimo horum versuum fluctuat, et quamvis multis partim ineptis explicandi rationibus propositis nihil decernit. Sed si illum Ovidii locum a nullo interpretum, quod sciam, memoratum Fast. IV, 470. *Et te verticibus non adeunde Gela!* comparaveris, non dubitabis, quin epitheton *immanis* ad fluvium sit referendum, qui ob verticosas aquas *immanis* i. e. terribilis advenantibus vel navigantibus dicatur. Eodem modo *saxa* Aen. I, 139 non tam ob magnitudinem, quam ob horrendam naturam *immania* nominantur.

Aen. IV, 596 — 598.

*Quid loquor, aut ubi sum? Quae mentem insania mutat?
Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt!
Tunc decuit, cum sceptrā dabas.*

Secum ipsa colloquens Dido vindictae studio in furorem abrepta ad Aeneam ferro ignique persequendum suos commonuerat. Jam residet ira paululum et ad sanam mentem se revocat. Sed simul ingravescit dolor de eo facto, quod omnis mali erat causa, ut in fine orationis, quae proxime praecedit v. 547 — 552, factum erat, et se ipsam incusat regina his verbis: *inf. D.! nunc te facta*

impia tangunt i. e. nunc commoveris facinore impio, quod animo concepisti, ita ut perpetrare non audeas. Sed tunc eodem modo te commoveri oportebat, cum fidem mariti pristini violares et cum Aenea regnum communicares — Dubitari nequit, quin lectio *nunc* — *facta* in locum antea vulgatae *num* — *fata* ex Med. aliorumque codd. auctoritate ab Heinsio substituta unice vera sit. Nam Didonem non ex se ipsa quaerere, num commoveatur, sed indignari, quod fiat, cogitandum est, et *fata impia* neque per se apte dictum neque ad cetera accommodatum esset. *Tunc* pro *tum* Jahnius ex codd. recte recepit. Magis de interpretatione loci disceptari potest. Heynius, ut solet in talibus locis, pluribus rationibus propositis (cf. ed. maj.) quid pro certo statuatur, non habet. At Wunderlichius eam rationem defendit, qua *facta impia Aeneae* cogitantur. *Tum decuit* autem ita explicat: »decuit te tangi ejus perfidia h. e. cogitare de perfidia ejus eamque prudenter cavere.« Sed etiamsi, id quod vehementer dubito, cum sententiarum nexu et rei natura haec explicatio satis conveniat, tamen eam ob causam ferri nequit, quia voci: *tangere* in altera enuntiationis parte, ad quam cogitatione addenda est, alius sensus subjicitur, quam qui in proxime praegressis verbis: *te facta impia tangunt* ullo modo eidem tribui potest.

Aen. VI, 535 — 539.

*Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium aetherio cursu trajecerat axem,
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea, nos flendo ducimus horas!*

Interpretum argutiae difficultatibus implicuerunt hunc locum, ad quem si praejudicata opinione non praepeditus accesseris, cum poetarum et ipsius Virgilii usu omnia conspirare judicabis. Noster, quemadmodum solent poetae, temporis definitionem interponit, ut idonea ratione colloquium inter Aeneam et Deiphobum coeptum ab-

rumpatur, et transitus ad sequentia fiat. Paulo ante ipsum solis ortum itinere ad inferos suscepto longam viam emensus erat Aeneas cum Sibylla. Tum sol jam ad occasum vergebat, sive, ut poëta exprimit, Aurora mediam coeli partem trajecerat. Aurora enim non matutinum tempus solum designat, sed cum Solis currum per totum diem comitetur vel antecedit, pro die ipso saepe a poëtis ponitur, ut ἡώς apud Graecos cf. Passovii lexicon s. h. v. Latinos autem poëtas Graecorum usum sequi ostendit is, qui, qua erat doctrinae copia et ingenii solertia, de tota re accurate exposuit J. H. Vossius in epistolis mythologicis II, p. 62 sqq., quem locum excerptum dedit Klopferus in lexico mytholog. s. v. Aurora. Itaque poëta Sibyllam, viae ducem et magistram, ne colloquio illo prorogato omne tempus ad majora destinatum absumeretur, monentem facit, jam noctem appropinquare, non aliter quam hujus libri v. 33. Sibyllae adventu et monito contemplatio signorum a Daedalo templi foribus insculptorum fuerat interrupta. *Nox ruit* autem nihil aliud est quam *nox ingruit*; cf. Aen. II, 250. *ruit Oceano nox*; VIII, 369. *Nox ruit*; Aen. X, 256. 257. *ruibat dies*. Etsi Solis lucem non videbat, tamen ex temporis, quod effluxerat, spatio, vel in Orco hoc concludebat Sibylla. — Sed interpretes poëtae animo certum temporis spatium, quo iter ad inferos susceptum absolvendum esset, observatum esse opinati, ut qui temere sibi persuaderent, quemadmodum Manes sive umbrae in somnis visae tempore matutino appropinquante redire dicerentur cf. Virg. Aen. V, 738. et sacra diis inferis noctu tantum fierent, ita quoque Aeneae, qui sub prima lumina solis cf. Aen. VI, 255. profectus esset, cum solis ortu ex inferis revertendum fuisse, miram hanc explicationem excogitarunt, ut nostri loci versibus 535. 536. extremam noctis partem et verbis: *nox ruit* noctis finem appropinquantem significari existimarent. Et si hoc alterum quodammodo defendi potest comparatis iis locis, in quibus, ut Aen. III, 508. *Sol ruere* i. e. abire et II, 8. 9. *nox coelo praecipitare* i. e. ad finem vergere dicitur, tamen alterum illud ab

usu poëtarum et rei natura prorsus abhorret. Neque rem expedit, quod a Ruhkopfio, qui neque emendandis neque supplendis Heynii notis idoneam operam navavit, propositum est, eum cursum, quem Aurora ab occasu ad orientem perficiat, a poëta significari, cujus cursus in carmine didactico, cf. Georg. I, 249, non in epico mentionem fieri par erat. Sed quid est, cur poëtam certum et tam exiguum tempus huic inferorum lustrationi tribuisse putemus, cum umbrarum ex Orco emissarum vel sacrorum diis inferis factorum plane alia sit ratio? Quid aliud est immeritam ineptiae culpam in poëtam conferre, quam si sumas, tam longinquum iter, tantam rerum, viatorum et sermonum multitudinem intra brevissimum illud tempus contrahi, quod inter primum solis radiorum fulgorem conspectum et verum solis ortum propius instantem intercedit? Cur missis illis ambagibus simplicem explicationem supra propositam amplecti dubitemus?

Aen. VI, 621 — 622.

*Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit, fixit leges pretio atque refixit.*

In describendis sceleratorum poenis infernis poëtam a v. 608. vitia et crimina, quorum mentionem facit, ad seriora tempora et suam potissimum aetatem accommodasse vix dubites, neque omnino vanum est, ex historia corruptorum Romanae reipublicae temporum illa illustrare, etsi nomina eorum, quos tangit, exquirere, plerumque sane inanis est opera. Sed duo illi versus v. 621. et 622. tam luculentis verbis certum hominem designare videntur, ut ab interpretibus recentioribus hoc ne verbo quidem memoratum mireris. Primo enim obtutu hominum poëtae aequalium animos subire debebat Curionis imago. In quem enim magis conveniant verba illa, quam in hominem illum nequissimum, qui summis ingenii et fortunae bonis praeditus, cum acerrimum libertatis et reipublicae amorem prae se ferret, Caesaris auro corruptus ad ejus partes latenter primum, tum aperte transiit, bello civili flagrantissimam fa-

ciem subjecit et bello illo conflato legitimum reipublicae statum ever-
tit? Pro patriae proditore et belli civilis machinatore eum habitum
esse a Romanis, satis apparet ex Vellej. Pat. II, 48. et Lucani Phar-
salia I, 268 sqq., IV, 799 — 824, cujus ultima sunt verba: *eme-
runt omnes, hic vendidit urbem*. Nequissimos ejus mores pro exem-
plo corrupti saeculi affert Val. Maxim. IX, 1, 6. Quanta levitate ille,
qui omnia venalia haberet, in legibus rogandis versatus sit, ex Coelii
epistola in Cic. Fam. VIII, 6; ex Appiani b. civ. II, 27. et Dione
Cassio XL, 60 — 62. intelligitur. Neque illud impedit, quominus
illos versus ad Curionem referendos esse putemus, quod, quae Bur-
manni est sententia, haud credibile videatur, ab eo poëta, qui Augu-
sti gratia uteretur, Caesarem dominum dici et dominatus hujus aucto-
rem damnari. Nam cum alii rerum scriptores, tum Suetonius cf. Jul.
c. 76. et 77. cum Octav. c. 28. 53. etc., satis declarant, Caesarem domini
personam prae se tulisse, Augustum autem Caesaris exitu edoctum,
quo securius in Romanos exerceret imperium, magnum pristini rei-
publicae status et legitimae libertatis simulasse desiderium. Hic igitur,
qui dominus esse, non videri vellet, et reipublicae restituendae
specie potestatum in se susceptarum invidiam averteret, facile permi-
sisse putandus est, ut suae aetatis poëtae aliique scriptores vel mag-
nis suis beneficiis obstricti libertatem et viros ejus amore conspicuos
summis laudibus extollerent, reipublicae vero dominationem ejusque
auctores, dummodo nihil contumeliosi in D. Julii nomen aperte con-
jicerent, quam maxime abominarentur. Cf. Hor. Od. I, 12, 31. 32.
ibique interpret. Virg. Aen. VI, 819. 822. VIII, 670. Illa quoque
oratio, quam Cremutio Cordo Tacitus Annal. IV, 34. tribuit, digna
est, quae conferatur. Ceterum egregius ille Italorum poëta, Dan-
tius Alighierius, in Inferorum descriptione Cant. 28, v. 90, ut vide-
tur, Virgilii, cujus maxime vestigia legebat, et Lucani exemplo
permotus Curionem exhibet lingua, scelerum, dum in vivis erat,
instrumento, excisa, ad inas Tartari partes detrusum.

Aen. VI, 645. 646.

Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos

Obloquitur numeris septem discriminina vocum;

Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Alterum hujus loci versum ita explicat Forcellinius in lexico s. v. *obloquor*: »versibus, quos ore canit, interponit sonum cytharae septem chordas habentis.« Idem s. v. *numerus* exemplis probavit, hac voce non solum modum carminis canendi vel rhythmum, sed etiam versus ipsos significari. Confert praeter Ovid. Amor. init., qui locus minus aptus est, et Plaut. in epitaph. Ovid. Am. III, 1, 37. *Inparibus tamen es numeris dignata moveri*. Etsi haec explicatio iis, quas alii interpretes proposuerunt, probabilior est, tamen haud crediderim, poëtam voci *obloqui* hanc vim tribuisse, ut verba v. 646. significarent: facit, ut chordarum soni versibus respondeant. Sed potius, velut cum multis aliis verbis compositis (ut ea, quae a grammaticis memorantur, praetermittam,) v. c. *innectere, implicare, obducere, obstrepere, obstruere, obtendere* pro dativo accusativus ejusdem objecti jungitur, ablativo, quem vocant, instrumenti insuper adjecto, ita hic quoque in dativi locum accusativum substituisse et ablativum instrumenti addidisse videtur poëta, ut nihil aliud dixerit, quam: *per numeros sive verba numerosa obloquitur chordis* h. e. ore canit ad septem chordarum sonos, Germanice: *er tönt Lieder zur siebenstimmigen Leier*. Quod magis confirmatur loco illo Senecae ep. 121. cujus haec sunt verba: *Quidni? cum maxima malorum optaverimus, et ex gratulatione natum sit, quidquid obloquimur*. In Senecae loco hanc singularem quidem *obloquendi* verbum habet notionem, ut *contra aliquid loqui sive rejicere, vituperare* designet. Sed pro accusativo ibi quoque dativum expectasses, cum quo uno casu verbum hoc alias constructum invenitur. Praeterea nostra Virgiliani loci explicatio cum rei natura bene convenit. Nam heroicae aetatis vates fidibus praecinere solebant, ut ad earum sonum cantus moderarentur, versus igitur fidium sono interponebantur et respondebant. Cf. Homer. Od. I, 155, VIII, 266. praesertim XVII,

262, ubi idem ille fidibus praecinendi mos antiquis vatibus, Phemio et Demodoco, tribuitur.

Aen. VI, 743.

Quisque suos patimur Manes.

Duplex hujus loci interpretandi ratio proponitur. Alii secundum Servium *Manes* pro poenis, suppliciis accipiunt. Alii, ut Gesnerus in thes., Heynius et Jahnus per notum illum Graecismum verba explicant. Sed haec explicatio cum linguae graecae et latinae usu pugnat. Nam, etsi accusativus nominibus et verbis saepe apponitur a Graecis, ut partem, ad quam praedicatum referendum est, designet, tamen hoc promiscue fieri non potest. Ut autem graecum *πάσχειν* accusativum hoc sensu nunquam adsciscit, ita quoque latino poetae quamvis graecarum locutionum amanti hanc singularem accusativi cum verbo transitivo: *patior* conjunctionem obtrudi posse nego. Cf. Zumpt in gramm. lat. §. 458, qui graeci, quem vocant, accusativi apud Latinos usum optime explicuit. Si autem secundum *Manes* expressurus erat poeta, praepositio addenda erat. Accederem alteri interpretationi, si, quomodo notio poenarum ex propria vocis: *Manes* vi deduci posset, satis intelligeretur. Neque, qui adferuntur aliorum poetarum, Statii Theb. VIII, 84. et Ausonii Ephemer. 57. loci necessario istam significationem postulant. Hoc mihi verius videtur. Vox: *Manes* non solum ad locum, in quo *Manes* versabantur, sed etiam ad statum, conditionem inferorum seu mortuorum significandam adhibebatur. Haec notio in reliquos quoque, quos modo memoravi, locos cadit. Ac nescio, an in notum illum Horatii locum Od. I, 4, 16 *fabulaeque Manes* eadem illa hujus vocis notio vulgari melius quadret. Nostri autem loci sententia haec erit: *suam quisque conditionem in inferis patitur* h. e. *suo quisque modo purgationem istam subit*. — Ea quoque ratio mihi in mentem veniebat, ut *pati* pro *luere* acciperetur, et omnes suorum quemque Manium naturam seu majoribus seu minoribus vitiis contaminatam *luere* intelligeretur. Quam ipsam interpretationem simpliciore nunc nostro loco aptissimam esse judico.

Aen. VI, 780. 781.

..... *Viden' ut geminae stant vertice cristae,*

Et pater ipse suo superum jam signat honore?

Huic loco, quod apud Valerium Maximum I, 8, 6. narratur, quamvis Heynius negat, lucem affundere videtur. Verba ipsa adscribam: »Cognitum pariter atque creditum est, Martem patrem tunc populo suo adfuisse. Inter cetera hujusce rei manifesta indicia galea quoque duabus distincta pinnis, qua coeleste caput tectum fuerat, argumentum praebeuit.« Haec aperte docent, galeam duabus pinnis seu cristis distinctam pro insigni Martis proprio vulgo esse habitam. Itaque pater ipse est Mars et superum i. e. coelestem seu deum superum (pluralis enim pro substantivo usurpati notio satis frequens in singularem, qui apud Virgilium Aen. II, 779. III, 20. VI, 630. invenitur, transferri potest, ut in voce *coelestis* Ovid. Fast. II, 144) ad Romulum referendum est, qui jam nunc a patre ornamento illi proprio insigniri dicitur. Illa galea autem patris propria, qua nunc jam ornatus est, portendit, eum quondam in alios quoque patris honores successurum esse. Si vero *superum* pro genitivo habeas, sive *pater superum*, sive, quod per se durissimum est, suo *superum* honore jungendum esse statueris, sensum tam certum et aptum nunquam elicies, quam ex nostra ratione Servio jam probata.

Aen. VI, 807.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis,

Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

In priori horum versuum hoc offendit interpretes, quod, etsi *famam*, *vitam* *extendere* saepe a poetis usurpatur, tamen *virtutem extendere factis* bene dici non posse videbatur. Sed si ad Graecorum rationem attendimus, Graecos saepe brevitatis et gravitatis causa ea nomina, quae virtutem aliquam significant, pro ejusdem virtutis laude, quae vitium designant, pro vitii crimine vel culpa ponere invenimus. Illustrat hanc rationem Schaeferus ad Antholog. Pal. t. III, p. 973. multis tragicorum, Herodoti, Platonis, Demosthenis et Plu-

tarchi locis allatis Cf. quoque ejus notam ad Soph. Electr. v. 968. εὐσεβείαν ἐκ πατρὸς καὶ τῷ θανόντι οἶσεν. Hunc Graecismum si noster quoque secutus est, idem fere in his verbis inesse voluit, quod in iis, quae Aen. X, 468. leguntur: *Famam extendere factis, hoc virtutis opus.* Quae autem in cod. Rom. aliisque codd. offertur lectio: *virtute extendere vires*, etsi ab Heinsio defensa, et Jahnio in notis probata, tamen glossematis notam apertius prae se ferre videtur, quam ut vulgatae, quam cod. Med. cum aliis praebet, jure anteponi possit. Multo minus reliquae codd. aberrationes dignae sunt, quarum ratio habeatur. Aen. VI, 820 — 824.

Consulis imperium hic primus saevasque secures

Accipiet, natosque pater nova bella moventes

Ad poenam pulcra pro libertate vocabit,

Infelix, utcumque ferent ea facta nepotes!

Vincet amor patriae laudumque immensa cupido.

Hac ultimorum versuum interpunctione admissa aptior et verior sententia quam vulgari ratione effici mihi videtur. Sensus autem loci ita constituendus est: Brutus, qui carissimos liberos ipse ad mortem duci jubebit, infelix erit, sive magis sive minus ejus factum ore ferent i. e. praedicabunt, celebrabunt posterī. Attamen vincet in ejus animo patriae amor et laudis cupido. Quamquam enim infelicem sortem, quam ipse sibi imponet, neque elevare neque compensare poterit gloriae, quae apud posteros ejus factum manet, magnitudo, praevalebit tamen pietas in patriam et ingens gloriae cupiditas animo ejus infixā. — Jam Heynii interpunctionem et explicationem plurimis aliis quoque probatam videamus. Verbis: *utcumque ferent* etc., ad sequentia relatis explicat ita: »in quamcumque partem hoc factum interpretaturi sint posterī, ipse in sumendo a filiis supplicio sequetur id, quod patriae amor et gloriae cupiditas suadebunt.« Sed si hanc explicationem sequaris, primum quaeritur, *quid vincat amor patriae* etc.; num inimica posterorum judicia animo proposita? Hoc ne cogitari quidem potest. Nam, si illa praesagiret Brutus, gloriae et

contentum et acerrimam cupiditatem ei tribueret Noster. Aliud quid per se aptum, sed a poëta non significatum suppleri non licet. Nam praecedentibus ultima verba: *Vincet* etc., aperte opponuntur, et his ipsis explicat poëta, quomodo is, qui ob suum factum infelix futurus esset, infelicitatis cogitatione victa, id exsequi in animum induxerit. Eum vero, quem hanc ob causam necessarium duco, cum voce: *infelix* nexum turbat interposita sententia: *utcumque ferent*, si ad Heynii modum, non si, ut supra expositum est, intelligatur. Deinde valde dubito, an *ferendi* verbum eo sensu, quo Heynius id accepit, de re vetusta et ab judicantibus longe remota apte usurpetur, non magis certe, quam vulgares illae locutiones: modice, aequo animo, moleste ferre. Praedicandi autem notio tam saepe huic verbo apud poëtas et pedestres scriptores tribuitur, ut exempla vix desiderari possint. Cf., ut maxime insignes locos afferam, Virg. Aen. VIII, 238. XII, 235; Liv. VII, 1 extr.; Cic. Cat. I, 10, 26. ibique Matthiae; Arch. 9, 21 extr.; Orat. III, 56, 214 init.; Orat. 40, 139. Denique, quod Heynius conjicit, fuisse jam Virgilii aetate, qui illud Bruti factum reprehenderent, hoc, tantum abest, ut cujusquam testimonio confirmetur, ut, quicumque ejus mentionem faciunt, aut summam laudem ei tribuant, aut ab omnibus tribui profiteantur. Honorificentissima enim judicia a senioribus Romanis de illo facto lata esse, cum alii loci ostendunt, v. c. Sili Italici, perpetui Aeneidos imitatoris, Pun. XIII, 721. Val. Max. V, 8, 1. Juvenal. VIII, 267. et ipsius Livii II, 5. tum Dionysius Halic. in Archaeol. V, 8. princ. et Plutarchus Poplic. c. 6. extr. aperte dicunt.

Aen. VI, 839 — 841.

*Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenae,
Ipsunque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos Trojae, templa et temerata Minervae.*

Jam veteres grammaticos, ad quem hi versus referendi essent, incertos haesisse, ex Gellio Noct. A. X, 16. et Pomponii Sabini ad Virgilium commentariorum fragmentis cognoscimus, quorum ille Vir-

gillum ab Hygino ob tempora et personas in illis versibus confusas reprehensum esse, hic eosdem pluribus delendos videri narrat. Recentiori aetate in illam plurimi iverunt sententiam, ut *L. Aemilium Paulum* a poëta intelligi censerent. Sed mala ista post devictum Perseum, Macedoniae regem, in Graeciam illata, quae Heynius ad Liv. 45, 31. provocans versu 839. obscure significari putat, huc trahi non possunt. Nam neque talia fuerunt, neque ab eo auctore profecta, ut versum illum ad Aemilium Paulum referri liceat. Quum autem in unum eundemque virum omnia convenire debeant, *Q. Metellum Macedonicum* potius quam quemquam alium poëtae animo obversatum esse crediderim. Ille enim et opes Achaeorum, quibus Boeotii et Chalcidenses se adjunxerant, ad Scarpheam, Locridis urbem, prostravit et Andriscum sive Pseudophilippum duobus proeliis fudit. Illos Trojanorum temporum ratione habita per *Argos Agamemnoniasque Mycenae*, cujus parvae urbis a. ante Chr. 466. ab Argivis dirutae postea pauca tantum exstabant vestigia, (cf. Thuc. I, 10. Diod. Sic. XI, 65. et geographos veteres Strab. VIII, 6. p. 201. ed. st. Lips. et Paus. II, 16, 4.) apte designari apparet, ut Aen. I, 284. Sed eadem de causa Pseudophilippum, qui pro Persei filio haberetur, qui regia dignitate Macedoniae per tres annos imperaret, et tam acriter Romanis resisteret, ut victori Macedonici agnomen inderetur, eodem, quo reliqui Macedoniae reges superbiebant, cognomine a poëta nostro ornatum esse, minime, ut Burmannus censeret, ab omni veri specie abhorret. De rebus a Metello gestis cf. praeter Paus. VII, 15. Livii epit. l. 49 — 52. cum Freinshemii supplement. et Vellej. Paterc. I, 11. Hujus autem scriptoris, tum Ciceronis v. c. Orat. I, 48. et Val. Maximi VII, 5, 4. Rom. 12. de Metello judicia et testimonia eum dignissimum fuisse declarant, qui inter summos Romanae reipublicae viros recenseretur, praesertim cum Mummii in Metelli locum substituti mentio in versibus 837 et 838. facta alterius Graeciae victoris memoriam animo statim suggereret. Ceterum causam, cur senioribus Macedoniae regibus praeter Nostrum Propertius IV. extr. 39. et Silius Ital. XV, 291. Aeacidarum cognomen tribuerint, ex conjugio a Demetrio, Antigoni Gonatae filio, cum Phthia, Epirotici regis filia, et Philippi II. deinde matre, contracto, quod Justinus 28, 1. memoriae prodidit, bene repetisse videtur Ruhkopfius.

Aen. VI, 843.

*Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?*

Ex *Gracchorum* gente non minus *Tiberium* illum, tribunorum pl. patrem et bello et pace clarissimum ipsosque tribunos, quam eum, qui in altero bello punico post pugnam Cannensem inclaruit, sed mox dolo peremptus est, respexit poëta. — Tum per *geminos Scipiadas* non *Africani*, sed P. et Cn. Scipiones, *fratres* illi, qui eodem fere tempore in Hispania mortem oppetierunt, significantur. Eosdem enim Cicero p. Balb. 15. et Silius Italicus Pun. XIII, 106. eodem fulminum cognomine insigniunt, ut proprium iis fuisse videatur. *Clades Lybiae* autem appellantur ob maximas clades Poenis illatas, ut Atilius Regulus apud Valer. Maxim. IV, 4. 6. *primi Punici belli gloria cladesque maxima* audit. — Minus apte Heynius nostro loco Homericum Iliad. XIII, 242. similem putavit, in quo Idomeneus non fulmini, sed fulguri propter armorum fulgorem comparatur. Sed afferri poterant praeter Lucani in Phars. I, 151 — 157. praeclaram illam, etsi paulo longiorem, comparisonem, in qua Caesaris velocitas et violentia fulminis imagine describitur, ii loci, qui, cum de Ptolemaeo Cerauno agant, causam, cur hoc cognomen acceperit, explicant, ut Plutarchi in Aristid. 6. et Pausaniae in l. I. (Attic.) c. 16. 2. Acerrimum animi vigorem fulminis imagine depingendi consuetudinem artifices quoque secutos esse, docet idem Plutarchus, cum in libello de Alex. Felie. s. Fort. II. c. 2. (ed. stereot. Lips. t. II. p. 404.) narrat, ab Apelle Alexandrum *νεφελονφόρον* pictum esse, cujus imaginis Plinius in Hist. nat. XXXV, c. 10. s. 36. n. 15. mentionem facit. — *Parvo potentem Fabricium* vocat poëta, quippe qui parva re familiari contentus ob ipsam parsimoniam et continentiam cum prudentia et fortitudine conjunctam in rebus publicis gerendis plurimum valuerit. — Denique in *Serrano* Virgilius famam inter Romanos vulgatam secutus est, cujus quidem veritatem haud contemnendis argumentis labefactavit Perizonius in Animadverss. hist. c. 1. p. 25 sq. Significatur autem *A. Atilius Calatinus*, qui secundum illam famam primus Serrani agnomen accepit, quia, qui missi erant, ut ad consulatum vel dictaturam gerendam eum arcesserent, sua manu spargentem semen convenerunt. Cf. Cic. p. Rosc. Amer. c. 18. princ. Hunc virum, qui primo bello punico bis consul et semel dictator fuit, summa cum laude memorat Cicero in Catone c. 17, 61, ad quem locum plures alios, in quibus ejus fit mentio, affert Gernhardus V. C.

Jam ad id progrediens, quod huic scriptioni suscipiendae occasionem praebuit, indico festos Gymnasii nostri dies anniversarios, in quibus celebrandis is observabitur ordo, ut dd. 29. et 30. m. Septembr. horis autem meridianis 2 — 5. discipulorum per quatuor classes deinceps prodeuntium profectus quaestionibus proponendis explorentur, d. 1. m. Octobr. autem post meridiem horis 2 — 5. actus, qui dicitur, oratorius habeatur. Hoc ipso die quatuor juvenes, cum tribus aliis in Academiam abituri, omnes ob studia animo et ingenio excolendo gnaviter et strenue impensa praeceptoribus probati, orationes proponunt suo Marte compositas. Materiae, quas oratores susceperunt tractandas, sunt hae:

Fridericus Maisch, Mittelbucha-Hassus: *Ueber den Einfluss tugendhafter Gesinnungen auf die Studien.*

Georgius Henning, Hanoviensis: *Quam vim Persica bella in Graecorum virtutes, opes et artes augendas exercuerint.*

Valentinus Albach, Hanoviensis: *Ueber die Wahl des künftigen Berufs.*

Carolus Peters, Meerholtiensis: *Lobrede auf Epaminondas.*

Praeter hos declamandi pericula facient discipuli ad hanc rem delecti; ex secunda classe: **Ludovicus Hasselmann**, Solitariensis, **Augustus Rühl**, Hanoviensis et **Petrus Schlemmer**, Moguntinus; ex tertia classe: **Carolus Ludwig** Hanoviensis; ex quarta classe: **Alfredus Klauhold** et **Fridericus Schlich**, ibidem nati.

Quas et examinum et actus oratorii solemnitates, ut, quicumque in ipsa hac urbe ejusque vicinia literas colunt et amant, juventutisque studiis favent, praesentia sua velint condecorare, qua par est, observantia et humanitate rogamus et obsecramus.

Dab. Hanoviae d. 19. m. Septembr. a. 1829.

VIRIS CLARISSIMIS ATQUE DOCTISSIMIS
ILLUSTRIS GYMNASII FRANCOFURTENSIS
AD MOENUM

RECTORI ET PROFESSORIBUS

SCHOLAE, IN QUA SUMMA DOCENT CUM LAUDE,

SAECULARIA TERTIA

A. D. XI. CAL. OCTOBR. MDCCXXIX

SOLEMNITER CELEBRANDA

SUO ET COLLEGARUM NOMINE

GRATULATUR

Dr. GEORGIUS PHILIPPUS SCHUPPIUS,
GYMNASII HANOVIENSIS DIRECTOR.

Inter omnes virtutes, quibus vel principes vel magistratus sui memoriam aeternitati commendant, nescio quae alia magis illos exornet, quam liberalitas. Quamvis enim multa sunt alia, quibus civium animi incitantur ad amorem et pietatem erga eos, qui saluti publicae prospiciunt: inter ea tamen procul dubio primum obtinet locum munificentia; quippe qua nihil naturae humanae accommodatius, nihil utilius, nihil denique gravius inveniri possit, quo eorum animi, qui illa perfuuntur, ad gratam beneficiorum memoriam mutuaque officia magis alliciantur. Ut vero hujus virtutis excellentia in omnibus reipublicae institutis, in quibus adjuvandis exserit sese, cum admiratione perspicitur: ita inprimis summam omnium bonorum meretur praedicationem, si in alendis promovendisque literarum studiis eamque ob causam in condendis et sustentandis scholis versatur. Quanto plus enim utilitatis ea ab re exspectandum est, in qua provehenda illa virtus occupatur: tanto majoribus omnium, quibus humani generis salus ac felicitas curae cordique est, laudibus excipitur. Quid vero salutaris cogitari

potest non solum singulorum rationibus, verum etiam rebus publicis, quam literarum studia? Profecto enim illa rebus humanis tantum affundunt lucis, tantum adferunt ornamenti, tantum praestant praesidii, ut, si literae e terrarum orbe forent sublatae, quasi solis lumen hominibus ademtum videretur, neque quidquam nisi densissima nox h. e. turpissima omnium rerum ignorantia ac dira morum barbaries superfutura esset. Quodsi literarum tanta est et utilitas et necessitas: quis erit, qui neget, nulla alia virtute eos, qui ad rerum publicarum gubernacula sedent, certius ac constantius sibi parituros esse immortale nomen perpetuamque gloriam, quam ea munificentia, quae in artes ingenuas et, quibus artes ipsae vitam et spiritum ducunt, in literarum ludos suas liberaliter impendit facultates. Et quae nominis memoria diuturnior, quam haec? Exornant quidem statuæ, sepulera, marmora aliaque id genus monumenta eum, cujus causa extant: sed tempore haec omnia tanquam caduca mutantur, ut nosmet ipsi mutamur cum illis. Verum lux et fama literarum est ea, quae neque improborum vi, neque temporis diuturnitate aut iniquitate consumatur. Cujus rei exempla nobis proponunt contemplanda inclytae Graecorum et Romanorum urbes: quae quamvis jam dudum aut ipsae interierunt aut saltem suâ antiquitatis ornamenta, veluti statuas, basilicas, arcus, fora, theatra quaeve alia illorum monumenta praedicantur, amissa deplorant, splendoris tamen, qui a literarum artiumque studiis promanavit, claritate longe lateque diffusa vivunt adhuc et in omnia saecula vivant. Eodem modo illi et ipsi, qui apud Germanos hic illic, ad literas artesque colendas ac fovendas, illustres liberaliter condiderunt scholas aut conditas munificentissime sustentarunt, aeternae laudis ac gloriae statuas sibi erexerunt, quorum de se ipso quisque ob egregia, quae vel instituendo vel instaurando vel amplificando ludo literario bonarum artium studiis adtulit auxilia, Venusini verbis (Od. III, 30.) vere praedicare potuit:

Exegi monumentum aere perennius

Regalique situ pyramidum altius:

Quod non imber edax, non Aquilo impotens

Possit diruere, aut innumerabilis

Annorum series, et fuga temporum.

Quibus laudatissimis scholarum fundatoribus aut almis earum nutritoribus, qui in variis germanicae linguae regionibus inde ab instauratione literarum usque ad hunc diem extiterunt, Vestros quoque, Viri excellentissimi atque doctissimi! optimo jure annumeratis Musarum patronos, quorum eximia contigit munificentia, ut in Urbe Vestra jam abhinc trecentos annos juventuti ad bonas artes erudiendae pateret schola, atque ita pateret, ut uberrima inde et in Vestram urbem, et in alienae ditionis terras redundaverint commoda. Cujus egregiae, qua Gymnasium Vestrum exornatum est, famae testes sunt permulti iique praeclarissimi viri, non solum qui vel in hac schola ipsa muneribus professoriis fungentes civibus suis haud exiguam eruditionem, fidem et industriam approbarunt, verum etiam qui ex illorum disciplina subinde prodierunt optimis artibus literisque ita instructi, ut deinceps, sive in patria sive apud exteros, aut doctrinae floruerint gloria, aut sua in obeundis muneribus publicis dexteritate insignem sibi comparaverint laudem.

Pro quo felici rerum Vestrarum successu ut Deo, omnium bonorum auctori, justae ac debitae persolvantur grates atque omni nisu ab oblivione vindicentur tum insignia beneficia, quae in scholam Vestram a magnificis et nobilissimis ipsius fundatoribus et altoribus, patriae patribus, per tria saecula sunt collata, tum praeclari fructus, quos quasi in munificentiae remunerationem haec artium cultrix in liberae Francofurtensium civitatis salutem edidit: stat Vobis sententia (quod bonum, felix, faustumque sit!) eum diem, quo abhinc trecentos annos illa initium ceperit, solemniter celebrare. Quam solemnitatem Vobis ut pie gratularemur, nos exhortabantur Musae nostrae Vestris et propinquae et vicinae et amicae. Eum in finem ad Vos perscripsimus hoc qualecunque opusculum, quod ut benigno animo accipiatis, oramus et obsecramus. Deus autem T. O. M. annuat Vestris solemnitatibus, ac Vos Vestramque scholam una cum republica in posterum tueatur et sospitet!

Valete et benevolentiam Vestram nobis conservate.

Dab. Hanoviae a. d. XVI. Cal. Octobr. MDCCCXXIX.
